

Supereſt reſpondere ad argumenta in opoſitum.

Ad primum reſpondetur, q̄ D. Tho. accipit veritatem primam in dicendo, & reuelando, vt patet ex ratione conſiſionis primæ ſc. quia fides nihil credit, niſi quod eſt reuelatum à Deo. Cæterum nulla eſt contrarietas in teſtimonio citato ex prima parte, vbi ait, quòd Deus ſub ratione Dei eſt ſubiectum Theologiæ, eò q̄ eſt ſubiectum fidei. Loquitur enim de obiecto, de quo eſt Theologia, & fides, quòd ibi nominat ſubiectum, non aut diſtinxit rationem formalem ſpecificantem Theologiam & fidem. Sed de hoc dicitur amplius dubio ſecundo.

Ad ſecundum argumentum reſpõdetur, quòd vltima reſolutio ipſius actus credendi per fidem de qua loquimur, ſit ad teſtimonium dicentis, ſeu reuelantis Dei. Cæterum in hoc, quòd poſtea interrogatus fidelis per illos gradus propoſitos in argumento reſpondet iuxta prædictam formam, potius Theologi officium exercet, quam puri fidelis. Reducere namq̄ ad Deitatem diuinam attributa, Theologi munus eſt. Sed magis miror, Caiet. tali argumento cõuinci ad aſſerendũ Deitatem eſſe rationem formalem fidei, cum tamẽ ipſe ſimile argumẽtum ſoluat, quo aliqui contendunt probare in Eccleſiæ auctoritatem vltimam fidei reſolutionem fieri, vt videbimus dubio tertio. Dicendũ igitur eſt, aliud eſſe reddere rationem vltimam eſſendi, aliud reddere vltimam aſſentiendi, ſeu cognofcendi, vt v. g. vlt. ratio quare Petrus videtur, ea eſt, quòd habet illuminatũ colorẽ. Et tamen ſi aliquis quærat, quare corpus eſt coloratum? rationẽ reddit ex parte mixtionis primarũ qualitatum, quæ ratio nullo modo eſt formalis reſpectu viſus. Sed contra. Reſpectu intellectus ratio eſſendi debet eſſe ratio formalis cognofcendi, ſed Deitas eſt ratio formalis omnium diuinorum attributorum, ergo debet eſſe ratio cognofcendi. Reſpondetur, diſtinguo maiorem. Quando proceditur demonſtratiuẽ, concedo, quando vero proceditur per rationem cognofcendi extrinſecam, vel ab effectu, nego maiorem. Fides autem eſt de non viſis, quæ credit propter ſolũ Dei teſtimonium, quod non eſt ratio eſſendi, ſed aſſentiendi veritatibus propoſitis.

Ad tertium reſpondetur, quòd diuina reuelatio dicitur obiectũ formale fidei, quia eſt ratio formalis obiecti ex parte noſtra,

ſub qua ratio formalis quæ ſe tenet ex parte obiecti attingitur à fide, vt explicuimus in 5. & 6. conſiſione. Sed pro maiori huius rei intelligentia nota, q̄ Deus vt reuelans cauſa efficiens eſt luminis fidei, & ipſus aſſenſus. Non enim aliter reuelat niſi effectiue. At verò lumen ipſum receptum in nobis formaliter illuminat obiectum, quòd creditur. Quamuis ſi idem lumen conſideretur, ut eſt habitus fidei, efficiens cauſa eſt aſſenſus. Arbitror enim non eſſe diſtinctam realiter qualitatem lumen fidei, & habitũ fidei, niſi fortẽ quis uelit diſtinguere etiam in naturalibus habitũ primorũ principiorum a lumine naturali inquam duas qualitates realiter diſtinctas. Sed hoc ſuperflũ videtur, quia ipſam lumen eſſentialiter eſt habitus, cum ei competat proprie diſtinctio, eò quòd eſt qualitas permanens, per quam diſponitur potentia ad operationem conuenientem ipſi nature. Ad teſtimonium uerò D. Thom. ex 1. par. reſpondetur, quòd loquitur de ratione formalis ex parte cognofcentis, ſub qua diuina ueracitas attingitur a credente.

Ad quartum argumentum vt reſpondeamus, notanda eſt differentia inter prophetiam, & fidem ex doctrina D. Thom. in 3. diſt. 2. q. 1. art. 1. ad 3. & art. 2. ad 4. & de verit. q. 14. art. 8. ad 13. & ex 3. p. q. 7. artic. 8. Eſt ergo prima differentia, q̄ quamuis prophetia, & fides poſſint eſſe de eodem obiecto materialiter, ut v. g. de paſſione Chriſti ſuit olim prophetia, & fides in prophetis; tamen fides formaliter reſpicit paſſionẽ ex ea parte, qua ſub eſt aliquid æternum, ſcilicet, in quantum Deus eſt paſſus, hoc autẽ, quod tẽporale eſt, reſpicit materialiter. Sed prophetia eſt cõtrario ſe habet: reſpicit enim tẽporale quaſi proprium obiectum, quòd intellectũ comprehendit poteſt. Secunda diſſerẽtia eſt q̄ prophetia eſt viſio reſpectu obiecti tẽporalis, neque pertinet ad eius rationem obſcuritatis obiecti. Vnde potuit eſſe in Chriſto, ut in loco citato in 3. parte optime explicat D. Thomas. Tertiã differentia eſt, quòd prophetia inducit ad fidem ſicut ad finem, ut docet D. Thom. de verit. ubi ſupra. Et denique eſt differentia, quòd lumen propheticum non eſt habitus, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 17. artic. 2. ſed datur Prophetæ per modum tranſeuntis impreſſionis. Vnde ad argumentum in forma reſpondeo, nego conſequentiam, quia reuelatio

B

C

D

E